

Q. D. B. V.

MEDICÆ FACULTATIS DECANI  
JO. HADRIANI SLEVOGTII

M. D. ET P. P.

SOLENNIS

AD

*Inauguralem Dissertationem*

DE

POLYPODIO

INVITATIO

CVM PROLVSIONE

DE

THEA ROMANA & HUN-  
GARICA SIVE SILESIACA  
ALIISQVE EIVS SVCCEDANEIS.

IENÆ

LITERIS RITTERIANIS.

Diaetet.

168,22

Zug. diaet.

249

MEDICAE FACULTATIS DECANUS  
J. H. B. ...

1712

POLYPODIO

CVM PROLATIONE

THEA ROMANA & HUN-  
GARICA SIVE THESIACA  
ALISOVE FIVS SUCEDANEIS

L. E. N. E.

...



Q. D. B. V.

## MEDICÆ FACULTATIS DECANVS

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.



Oncessit equidem summum Numen, infirmitatis nostræ misertum, mortaliū incolumitati, post protoplastorum lapsum, & posterorum intemperantiam, mille morbis expositæ, salutaria auxilia, eaque per universum terrarum orbem adeo benigne distribuit, ut cuius genti suum clima remedia, languenti corpori conferentia, largiatur: modo studiose conquirantur, eorumque vires decenter æstimentur, & prudenter applicentur: sed humanum ingenium, hisce, a natura datis donis, non contentum, per vitiosum Divinam sapientiam æmulandi conatum, & novum aliquid producendi pruriginem, omnium regnorum simplicia concreta, (ne metallis quidem exceptis,) jamdudum satis bona, per ignem & varias machinas meliora effecturum, in sua principia dissolvere gestit, mox iterum soluta combinare, digerere, sublimare, præcipitare, & in miraculosa elixiria, splendida magisteria, multipotentesque quintas essentias evehere studet; isto ut plurimum effectu, ut talismodi vexata corpora natives qualitates exuant, novasque, a prioribus diversas, imo contrarias, & subinde deteriores induant.

X 2

His

His accedit, quod medicamentis, apud nos tam sponte, quam per cultum provenientibus, neglectis, peregrina, nostrisque temperamentis sæpe minime congruentia expectantur; quorum alia, non absque certo utentium damno, exemplo aromatum, per crebriorem usum nobis infensa evadunt: alia autem, ex mitioribus elementis constructa, non adeo manifeste quidem lædunt; attamen ita comparata sunt, ut sani iisdem carere, ægrotantes autem opem, inde expectandam, ex indigenis & magis parabilibus habere queant.

Inter posteriora hæctenus folia, Sinensibus *Thée*, hisque præstantiora Japonensibus *T'chia* appellata, ab arbuscula, florem, cisto similem, pentapetalum, & tricoccum fructum alentem decerpta, eminuerunt, quorum figuram cum fructu Jacobus Breynius, Cent. I, exotic. herb. c. 52, p. 112, sed sine flore; elegantius autem cum eodem & fructu Engelb. Kæmpferus, Amœn. exotic. fascic. 3, obs. 13, p. 606, & ex hoc curiosissimi Annalium physico - medicorum Collectores, mense decembri, anni 1717, p. 443, delinearunt. Valorem autem in patria Autores, apud Tulpium, lib. 4, observat. cap. 60, legendi, Maffeus, Almeyda, Jarricus, Ricius, Frois, Bontius, Linscot, & præter hos, Piso, Franc. Hernandez, de Rodes, Varenius, du Four, Wilhelm ten Rhyne, pluresque alii, in appendice citatæ centuriæ Breynii nominati, descripserunt, quibus etiam Waldschmidius, vocalissimus facultatum ejus præco, inprimis autem Cornelius Bontekoe, est jungendus, qui hyperbolicis encomiis hujus vegetabilis magnates aliquot, per spem, ex Thææ potu vitæ longitudinem, & remedium dolorificorum morborum adipiscendi, in suas partes traxit, & ad horum exemplum, aulicos non solum, ut dominis blandirentur, allexit, sed in omnibus fere aliis hominibus, utriusque sexus, otio & pecunia abundantibus, infatigabilem sitim, & desiderium eundem sobillandi excitavit, eoque ipso occasionem exteris, Germaniam quotannis incredibili pecuniæ summa emungendi, incolis autem, præcipue literatis, horas matutinas, studiis aptissimas, inutiliter perdendi dedit.

Haud

Haud defuere quidem cordati sanitatis hominum Custodes suo officio, & non tantum infranam, peregrino medicamento inhiandi, cupidinem non omnibus, sine discrimine, proficuum esse ostenderunt: inter quos Sim. Pauli in Tractatu peculiari, & Ant. de Heyde, in observ. 76, & alii noti sunt; sed docuerunt etiam, si omnino calidæ aquæ potus, vetustissimis temporibus, a politioribus pariter ac barbaris gentibus expetitus, tantopere arrideret, istum ex indigenis, nostris visceribus convenientibus plantis, conficiendum esse. Quem in finem celeberrimi viri, Jo. Francus, Ulmenf. Medicus, Frid. Hoffmannus, Hallenf. PP. & Feldmannus, lib. de Dea podagra, *veronicam*, laudatissimam herbam, alii trifolium fibrinum, insigne antiscorbuticum commendaverunt: quibus, utpote amarum, Angli rosmarinum, alii betonicam, fere insipidam, aut salviam, Indis valde gratam, & potissimum *Pyxidis* istius *sanitatis* Dn. de Steding, p. 101, laudatorum Annalium, mense Jul. 1717, delineatæ, ingrediens constituentem, produxerunt. Nec ex multis simplicibus compositis apozematibus destituimur; siquidem a Borrichio & Cohausenio constructas formulas, speciali praxi profuturas, & Hamburgense crama admiserimus.

Cum autem tantum favorem nomen *Theæ* ubique acquisiverit, ut, non dicam rudi plebi, sed prudentioribus etiam & supra vulgi conditionem provecis personis, decocta & infusa vegetabilium, ad multos dies continuanda, & quondam a Chemicis, guttatim sua medicamenta offerentibus, sub nomine tædiosarum potionum Galenicarum, langweiliger Galenischen Träncke, *Ruh-Söffe*, ægrotis invisa reddita, hodie per solam accessionem vocabuli *Theæ*, v. g. cephalicæ, pectoralis, hepaticæ, uterinæ, antiscorbuticæ &c. acceptissima reddere valeamus: ideo mirum non est, primarium Norimbergæ viventium Medicorum, D. D. Godefr. Thomafium, *tenera sylvestris roseæ folia*, sua fragrantia & sapore naso atque palato minime adversa, viribusque non contemnendis instructa, sub *Theæ roseæ* titulo Ephem. Germ. Cent. 3, & 4, obs. 199, p. 473 inseruisse: quorum laudes etiam a Königio, Regn. veget. p. 1053 deprædicatas, ipsaque loco *Theæ*, cum magno fructu

usurpata fuisse, D. D. Ern. Goth. Struvius, Ephem. Cent. 7 & 8, Obs. 86, p. 424 testatur.

Huic *Roseæ Theæ* alia, quam D. D. Jo. Adam Göritzius, insignis apud Ratisponenses Medicus, Ephem. modo citat. obs. 15, p. 39, *Theæ Romanum* salutat, ad latus poni meretur, quam, an. 1716, a perillustri viro dono acceptam, in horto coluit, & succedente tempore adeo multiplicavit, ut inde varia, ægrisque salutaria experimenta instituere potuerit. Est hæc eadem, quam laudatissimi Annales Vratislavienses, an. 1717, mense Decembri, p. 443, ex Hungaria in Silesiam transplantatam, & utrobique feliciter germinantem, Hungaricæ & Silesiacæ Theæ appellatione dignam judicant. Cujus semen, anno superiori, Venetiis ad nos quoque allatum, & in hortum Orphanotrophii satum, Hortulano multisque aliis spem faciebat, vegetabile, nondum hic loci visum, & Romanæ Theæ nomine superbiens, pullulaturum esse. Verum simulac prima novæ plantæ foliola emergebant, ex figura eorum & odore, eadem Botryos esse Mexicanæ, cognoscebamus; quam hætenus in medico nostroque horto quotannis, absque ullo cultu, sponte ex suo semine provenisse, & ob elegantiam in flore & fructu defectum, inter inferioris ordinis herbas relatum fuisse noveramus.

Excitabat tamen fama ejus, & præclarorum virorum in virium cognitionem impensa industria animum, ut, quam pedibus hucusque calcaveramus, & crebro inter zizanias, ex areolis evulsam, abjeceramus, nunc secundum regulas botanicas non solum, & characteris rigorem, per microscopium examinarem: sed etiam, quid, præter effectus, ab aliis animadversos, ulterius præstare valeret, tentarem. Ubi mox, quoad genus, eam a *T'chia* alienissimam esse, neque etiam inter *atriplex* cum *Recho*, *Morissone*, & *Hermanno*, aut ad *chenopodia* cum *Tournefortio* referri posse, nec botryos appellationem, a J. & C. Bauhinis ipsi collatam, genus aliud quod, sed situm saltem floris atque capsulæ seminalis, ad botri aliqualem figuram conglomeratorum, denotareprehendimus. Quid præterea in laboratorio chemicò inde extraxe-

traxerimus, & qualem ejus energiam in praxi clinica anno-  
taverimus, cuncta in unum programma congerere apud a-  
nimum constitueramus, cum dissertationi inaugurali, de PO-  
LYPODIO, generosi & clarissimi Candidati,

## CAROLI FRIDERICI LÖV

NOBILIS HUNGARI,

publica invitatio præmittenda esset. Sed quia, præter no-  
stram intentionem, prolixius præfamen spatium, prolusioni  
competens, dudum implevit, & instans abitus Candidati fa-  
cta infecta reddere, superfluumque scripturam in spongiam  
recondere non permittit, & insuper typographus, materiam  
suis typis postulans, fores pulsat; ideo consilium mutare, filum  
abrumpere, & quæ dici adhuc possent, in aliud tempus, quan-  
do dissertatio conficienda erit, differre cogimur, in præsen-  
tiarum ad vitæ & studiorum nostri recensionem properantes.

Patria ipsius est Sempronium, libera regiaque inferioris  
Hungariæ civitas. Pater fuit A. O. R. MDCIC d. 20 Martii, vir  
generosus, Dn. ANDREAS LÖV, nobilis Hungarus, Phil. &  
Med. D. ibique Physicus ordinarius; Mater autem ANNA  
CATHARINA, ex prænobiliss. & patritia apud Augspurgen-  
ses Ammaniorum familia oriunda. Post utriusque parentis  
obitum, per nobiliss. Dn. GEORGIVM WILHELMVM SAILE-  
RVM, Senatorem prudentiss. curæ & informationi dexterrimæ  
clarissimi & doctissimi Rectoris Sempronienfis Gymnasii, Dn.  
JO. DECKARDI concreditus, humanioribus studiis adeo feli-  
citer instructus fuit, vt sublimioribus disciplinis idoneus ha-  
bitus, ant. 1716, post orationem, de Temperantia, valedictio-  
riam, ab affine suo, D. D. JO. THEOPH. WINDISCH, Medico  
Basingense & Modrense ordinario, fundamenta artis discere  
posset. Hinc Anno 1717, a Pro. Rectore magnifico, D. D. JO.  
CHRISTIANO SCHRÖTERO, Hered. in Wickerst. & Dilstätt, Jcto  
& Antecessore celeberrimo, Curia Prov. & Scabinatus Asses-  
sore gravissimo, in album civium academicorum relatus, ani-  
mum, in philosophicis collegiis excell. WALCHII bene præ-  
paratum, ad Medicinam applicuit, eamque, haud interrupta  
serie,

serie,

ferie, feliciter absolvit. Elegit autem sibi primarium, quem  
 B. Parens quoque veneratus fuit, ducem, illustrem D. D.  
 GEORGIVM WOLFGANGVM WEDELIVM, Hered. in Swartza,  
 Com. Palat. Cæsar. Sacræ Cæs. & Cathol. Maj. ac Sereniss. Sa-  
 xon. Ducum Consil. Vinariensem Aulicum & Archiatrum  
 splendidissimum, Prax. & Chim. P. P. famigeratisf. Acad. &  
 Facultatis Seniores venerandum, cujus lectiones publicas  
 in theorematibus, de morbis infimi ventris, & febb. chymicas item  
 & practicas, nec non privatas, institutiones, physiologiam  
 acroamaticam, materiam med. exercitat. pathologico thera-  
 peut. chymiam, formulas & politiam medicam, mulierum-  
 que morbos explicantes, summo cum emolumento audivit.  
 Quale etiam ex solida magnif. Dn. IO. ADOLPHI WEDELII, Phil.  
 & Med. D. Theoret. P. P. Consil. & Archiatri Saxonici, Physi-  
 Provinc. Vinariens. celeberrimi, physiologia, pathologia & fe-  
 miotica, morborumque infantum, & supremi, medii atque in-  
 fimi ventris explicatione haufisse, gratus profitetur. Interfuit  
 quoque publicæ Anatomia excellentiss. Dn. FICKII, Phil. &  
 Med. D. hujusque P. P. ordin. & Archiatri Vinariens. longe  
 meritisfimi: quibus insuper demonstrationes physicas, bota-  
 nicas & anatomicas excellentiss. TEICHMEIERI, P. P. ordin.  
 Physicæ, & Medicinæ extra-ordin. Archiatrique Hazfelden-  
 sis, & chirurgicas D. D. HILSCHERI, Med. P. P. extra-ord. de-  
 signati, nostrosque botanicos & anatomicos labores, publi-  
 cos privatosque junxit: tam felici cum successu, ut, post ex-  
 antlata examina, nunc summos in arte nostra honores cape-  
 fere queat. Disputabit igitur d. VII. Maji, sub illustris WE-  
 DELII præsidio; nil magis in votis habens, quam ut magnif.  
 Dn. Pro-Rector, celsiss. Comes de Solms, Proceres Aulae &  
 Academiae, omniumque ordinum Hospites, & inclyta literatae  
 pubis concio, sua præsentia actum solennissimum reddere  
 velint; cui honestissimo petito meum quoque & Collegii mei  
 jungo, pro ejusmodi suspicienda gratia, benevolentia & a-  
 more, observantissimas, officiosas & prolixas gratias pro-  
 mittens. P. P. sub Sigillo Facultatis, Jenæ

d. 4 Maji, MDCCXXI.

(L. S.)

*Direct 164, 22*